



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv**

**Cepari, Virgilio**

**Antverpiæ, 1630**

Trium rerum rationem reddit quibusque hebdomadis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

Observantissimus semper extitit suorum Superiorum, in quibus, utpote Dei Vicarijs, diuinam auctoritatem reuerbatur; quos nunquam, nisi iuberetur, aperto alloqui capite sustinebat: quorum non solum mandata, sed & iudicia comprobabat; quibus denique domesticorum omnium animos ita conciliare nitebatur, ut aequali amore reuerentiaque aduersus eos ferrentur, iisque pari fiducia, sine fuce, verborumque inuolucris, mentis etiam patefaceret adyta. quae de re sic in haec verba scripsit: *Apud Superiores meos & Patres spirituales esse conabor candidus totus & sincerus, & veluti aqua purissima.* Neque solum non sensit ullam unquam ab aliquo Superiorum animi abalienationem, sed neque cogitando sibi in mentem venisse ullius auersionis, aut ab ullo Superiorum, aut eorum praecipis, aut iudicijs & opinione indicauit, tanti eorum faciebat auctoritatem.

*Qua eius reuerentia in Superiores.*

Trium mihi rerum rationem hebdomadis singulis constantissime reddebat; an silentij leges obseruasset; an de rebus sacris sermonem instituisset; an propositorum inter orandum factorum tenax fuisset. Tria sibi esse solatio praeter ceteris in vita, dicebat; primum, castitatis illibatae florem abs se esse perpetuo conseruatum: alterum, numquam deliberata voluntate commissam abs se

*Trium rerum rationem reddit quibusque hebdomadis. Tribus praecipue fruitur solatijs.*

